

DE PONDERIBVS

Rogasti itaq; me, uel potius coegisti, ut sen-
tentia te meæ certiorem facerem, nō potui
precibus tuis diutius aduersari, cum ob im-
mensum meū erga te amorē, (nec conqui-
euerat Leopoldus Dyckius meus, subinde
ad hoc generis studium adhortans, ut toti-
us rei literariæ, tum præcipue Iuris professo-
ribus q̄ liberaliter gratificarem) tum quod
publica etiam studiorum cauſa, quam citra
præuaricationis notam deserere non pos-
sum, me hortabatur, ne freti tantis ducibus
Studioſi in utrancq; aurem dormiētes, uel a
uero aberrarent, uel incertiores quā prius,
quaerendum amplius censerent. Nec uero
ferre iniquo animo hoc ipsi debent, qui su-
pra omnem inuidiæ aleam positi, quod in
ſe fuit, primi rem fœlicissime aggressi sunt,
ſi deinde aliis atq; aliis artificibus inuentum
ſuum clarius illustriusq; reddatur, cōcedant
mihi, quod etiam parci agricolæ non fo-
lent prohibere, ut post optimo-
rum uindemiatorum terga
racemationem faciam,
illeſtam ueſtigialm
post mēſſores col-
ligam. Tu ua-
le, & lege
fœliciter.

In pri-